

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2350

Auteur(s) : Célestin III [pape]

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Amand (abbaye)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1191, 17 décembre

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Bulle du pape Célestin III confirmant les biens et privilèges de l'abbaye de Saint-Amand (dans un vidimus de l'official de Rouen, octobre 1355).

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Cacheux Marie-Josèphe, *Histoire de l'Abbaye Saint-Amand de Rouen, des origines à la fin du XVIe siècle*, Caen, Société d'impression de Basse-Normandie (BSAN ; 44), 1937, n° IV, p. 254-258.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Officialis Rothomagensis, salutem in Domino. Universitati vestre facimus manifestum quod anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, die (sic) mensis octobris, in presentia notarii publici infrascripti vidimus, tenuimus, palpavimus et examinavimus diligenter quasdam litteras apostolicas felicis recordationis sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Celestini, digna Dei providentia pape tercii, ejus vera bulla plumbea in filis de serico more Romane curie bullatas, non abrasas, non abolitas, non cancellatas, non suspectas, sed sanas, illesas et integras ac omni prorsus vicio et suspitione carentes, ut prima facie apparebat, quarum tenor sequitur et est talis :

Celestinus, episcopus, servus servorum Dei... dilectis in Christo filiabus.. abbatisse Sancti Amandi Rothomagensis ejusque sororibus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Prudentibus virginibus, que sub habitu religionis, accensis lampadibus, per opera sanctitatis jugiter se preparant ire obviam sponso, sedes apostolica debet presidium impartiri, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter, dilecte in Christo filie, vestris justis postulacionibus clementer annuimus et prefatum monasterium Sancti Amandi Rothomagensis, in quo divino estis obsequio mancipate, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuente ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecunque bona idem monasterium in presentiarum juste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, dargitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrique successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus sui pertinenciis, et in eadem villa viginti quinque solidos sub annua pensione, et decimam ipsius ville ; apud Serlo villam octo hospites ; Maisnillum Radulphi in terris et hominibus, et ecclesiam ipsius ville sub annua pensione decem solidorum ; ecclesiam de Fraisnez, et in eadem ecclesia triginta solidos, et in eadem villa sedecim hospites ; apud Periers unum molendinum ; medietatem ville que Puceium vocatur, ecclesiam ejusdem ville et quinque solidos in eadem ecclesia ; ecclesiam Sancti Mauricii de

Malo Alneto, et in eadem ecclesia quinque solidos, et in eadem villa unum molendinum ; Boscum Abbatisse cum omnibus pertinentiis suis in terris et in hominibus ; in villa de Housseia duas partes decimarum et unum hospitem ; in villa de Cordelevilla duas porciones decimarum et unum hospitem ; ecclesiam de Roumara et decimam ejusdem ville et in ecclesia viginti solidos ; manerium de Calceya cum pertinentiis suis et ecclesiam ejusdem ville ; apud Bouteilles unum modium salis et dimidium, et quinque solidos, et per manum Rogeri de Tallos triginta solidos ; in la visconté de Archis triginta libras et quinque modios frumenti et duos modios avene et dimidium ; apud Bures campartagium de culturis, et Maintru juxta Bures et unum hospitem et terram unius carruce ; in foresta de Ewi, apud la Buscaille, manerium Martini de Hosa et duas portiones decimarum ; apud Belencumbre viginti solidos ; apud Bertrunmonz quatuor modios annone ; prioratum Sancte Marie de Saane cum suis pertinentiis ; Herbouvillam in terris et hominibus, molendinum de Aiglesmaisnil et duos hospites ; apud villam Sancti Audoeni, que sita est inter rippariam de Seana et Belnai, ecclesiam ejusdem ville et sex hospites ; ecclesiam de Lambertivilla et unum molendinum et tredecim hospites ; apud Mucandun unum hospitem et quandam partem decimarum ; apud Bloussevillam in Cauz decimas Ridel de Seilleron ; triginta minas bladi apud les Bans Comitit ; a Scelinbosa viginti solidos ; de Tolebuse tringinta minas avene ; apud Molas, de feudo Odonis de la Cressoniere, medietatem decimarum ; de Bosco Autru similiter ; de feudo Ingulfi similiter ; de feudo domini de la Barbe similiter ; de feudo Rogeri de Milis similiter ; de feudo Osberni de Munfort medietatem tercie partis decimarum ; de feudo au Boleor similiter ; apud Sanctum Jacobum de Bevron decem libras ; apud Barbeflo sex libras ; ecclesiam de Amanvilla, et in eadem ecclesia viginti solidos, et duas partes decimarum et duos sextarios avene ; in civitate Rothomagensi triginta septem hospites, et domum lapideam cum toto masagio magistri Reinaldi, archidiaconi Rothomagensis, quam in feudo Sancti Amandi edificaverat, et tres masuras, decimam modiationis domini regis, ecclesiam Sancti Martini super Secanam et in eadem ecclesia quinque solidos, masuram quam longo tempore tenuit Willelmus de Mala Palude juxta Sanctum Amandum, que est de dominio abbatis ; in pratis archiepiscopi tres acras et unum molendinum juxta Carevillam, et in Scarevilla quatuordecim hospites ; apud Darnestal duo molendina ; in foresta de Pratellis decimam omnium rerum ad forestam pertinentium ; et apud Ronceroles unum modium avene ; et in Valle Rodolii septuaginta duos solidos. Sane novalium vestrarum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis personas a seculo fugientes liberas et absolutas ad conversionem recipere et eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli sororum vestrarum post factam in loco vestro professionem fas sit absque abbatisse sue licentia de eodem loco nisi arctioris religionis obtentu discedere ; discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus ut eorum devotioni et extreme voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justicia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumantur. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbatisa, vel earum qualibet que tibi successerint, nulla ibi qualibet surreptionis astucia seu violencia proponatur, nisi quam sorores communi consensu, vel sororum pars major consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam, providerint eligendam. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit prefatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur earum pro quarum gubernatione ac sustentacione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et diocesani episcopi canonica justicia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine divine ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, Amen.

Inferius autem, post omnem ipsarum apostolicarum litterarum tenorem, erat unum signum ad modum duorum circularum, quorum alter videlicet secundus circulus erat cruce signatus. In primo vero circulo erant ista verba scripta : Perfice gressus meos in semitis tuis. Et in secundo : Sanctus Petrus, Sanctus Paulus. Celestinus papa III. Et deinde juxta hujusmodi circulos erant ista verba : Ego Celestinus, catholice ecclesie episcopus. Et juxta illa verba erant duo signa ad modum litterarum. Subsequenter vero videlicet subtus dictos circulos erant scripta et apposita nomina que sequuntur, cum crucibus in capite cujuslibet nominis appositis et aliis signis in fine admodum litterarum :

Ego Albinus, Albanensis episcopus. Ego Octavianus Hostiensis, Velletrensis episcopus. Ego Johannes, Penestrinus episcopus. Ego Pandulfus, basilice, XII. Apostolorum presbiter cardinalis. Ego Jordanus, presbiter cardinalis Sancte Pudentiane tituli Pastoris. Ego Johannes, tituli Sancti Clementis cardinalis, Tuscanensis episcopus. Ego Romanus, tituli Sancte Anastasie presbiter cardinalis. Ego Hugo, presbiter cardinalis Sancti Martini tituli Equitii. Ego Johannes Felix, presbiter cardinalis tituli Sancte Susanne. Ego Johannes, tituli Sancti Stephani in Celiomonte presbiter cardinalis. Ego Gracianus, Sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis. Ego Gerardus, Sancti Adriani diaconus cardinalis. Ego Safridus, diaconus cardinalis tituli Sancte Marie in via lata. Ego Gregorius, Sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis. Ego Johannes, Sancti Theodori diaconus cardinalis. Ego Bernardus, Sancte Marie nove diaconus cardinalis. Ego Lotarius, Sanctorum Sergii et Bachi diaconus cardinalis.

Post hec autem videlicet inferius versus finem erant scripta ista verba : Datum Laterani, per manum Egidii Sancti Nicolai, in carcere Tulliano diaconi cardinalis, XVI calendas januarii, indictione decima, Incarnationis dominice anno M° C° X C° I, pontificatus vero domini Celestini pape .III. anno primo.

Et ego Guillelmus de Mara, clericus Rothomagensis dyocesis, publicus apostolica et imperiali anctoritate, curieque archiepiscopalis et venerabilis capituli Rothomagensis notarius, dictas litteras apostolicas sanas et integras omnique vicio et suspictione carentes, ut prima facie videbatur, vidi, tenui, legi et palpavi et de presenti transcripto ad ipsas originales litteras cum Adam Toustain, clerico notario dicte curie, diligentius et verius quam potui collacionem feci, et quia ea in omnibus et per omnia invicem concordare inveni, presenti transcripto signum meum solitum una cum sigillo dicte curie ad majorem certitudinem apposui requisitus.